Morbio 27 (175)

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

PIUS PP. VII.

Morbio 27 ~~(176)~~ (175)

Dilecte Fili salutem et Apostolicam Benedictionem. Vitae ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud Nos fide digno commendaris testimonio Nos inducunt ut Te specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Cum itaque sicut Nobis nuper exponi fecisti, Tu, qui (ut asseris) in Sacro Diaconatus Ordine constitutus existis, ut penuriae Sacerdotum in istis tuis partibus vigen. subvenire valeas, et fervore devotionis accensus ad reliquum Sacrum Presbyteratus Ordinem quantocitius promoveri summopere desideres; Nos Te praemissorum meritorum tuorum intuitu specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existis ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes; supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Tecum, ut si, et quando sexdecim menses et viginti dies tantum Tibi de aetate ad id a Sacro Concilio Tridentino requisita defecerint defectu hujusmodi non obstante, si nullum aliud canonicum Tibi obstet impedimentum, et dummodo Tu ad id idoneus reperiaris servatisque aliis servandis ad dictum Sacrum Presbyteratus Ordinem promoveri, et promotus in illo etiam in Altaris ministerio ministrare libere, ac licite possis, et valeas Apostolica auctoritate tenore praesentium dispensamus. Non obstantibus et Ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVI. Julii MDCCCV Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Pro Domino Cardinali Braschio de Honestis

F. Bernius Subst.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1876782366-17/fragment/page=0001

1805 16/VII

Dilecto Filio Josepho-Aloysio
Marinonio. Clerico Cremonen.

Morbio 27 (176)

Morbio 27 (175)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1876782366-17/fragment/page=0002